

22. Verùm hæc & omnia alia, quæ Re-
vius variis in locis contra fundamentum hoc
Physicæ nostræ, quòd Corporis essentia in
extensione consistat, necitit sophismata,
funditus everfa videbis, ubi Dissertationem
meam secundam de præjudiciis infantia
(quæ Defens. Cartes. caput XXXIII. facit)
cum Notis attentè perlegeris, quamvis Re-
vius sibi placens in *Levitare* sua & hoc &
alia, in quibus præcipuè fuerat refutatus,
planè dissimulaverit.

EXERCITATIO LI.

*Quenam sint cognoscenda ei qui Animæ humane im-
mortalitatem vult demonstrare.*

I. **Q**ui animæ humanæ immortalita-
tem è naturæ lumine vult de-
monstrare, eum scire prius oportet, & quid
anima sit & quid nomine immortalitatis
quæ ei attribuitur intelligendum. Nam hæc
enunciatio, *anima humana est immortalis*, ha-
bet, ut omnis alia, suum subjectum & præ-
dicatum, quæ utrùm cohæreant nec ne,
necessario an contingente nexu, non potest
judicari nec potest è natura subjecti aut præ-
dicati ullum argumentum duci nec denique
quid